MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

MENSE IANUARIO 1943

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
ED. « ACTA ROMANA »
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1943

N. 6 MENSE IANUARIO 1943

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

DE AEGROTATIONE ET MORTE PATRIS NOSTRI GENERALIS

Quamquam per plures R. P. Vicarii epistolas opportune certiores facti sunt Nostri de aegrotationis Patris Nostri progressu et exitu, quaedam tamen de ultimis carissimi Patris actis et dictis addere velimus, quae omnibus sine dubio gratum erit audire.

1. De primis aegrotationis diebus.

Die 1 Octobris, quo quinquagesimum anniversarium ab ingressu R. P. Magni in Societatem modeste et familiariter, more nostro, celebravimus, postremum nobiscum omnibus Patrem Nostrum habuimus. Eo enim ipso die vespere Communitas Curiae Exercitia spiritualia annua incohabat. Ipse vero Pater Noster iam multo ante, mense iulio, ea perfecerat; quod quidem omnibus admirationem excitaverat, cum his proximis annis numquam tam mature Exercitiis annuis vacasset.

Cum ergo die festo S. Francisci Borgiae, titularis nostrae ecclesiae, Exercitia absolvimus, tristem audimus nuntium: Patrem Nostrum febri et doloribus detentum in lecto aegrotare. Assueti tamen crebris eius aegrotationibus, non putabamus causam esse angendi; eo magis quod medici assererent agi de diuturno quidem at minime gravi morbo. Solus aegrotus aliter cogitare videbatur: iam enim a primis diebus Fratrem Infirmarium interrogavit num cubiculum vacuum in valetudinario haberet, « nam non oportet — inquit — Patrem Generalem in suo cubiculo mori ». Fratri autem eum tranquillare volenti respondit: « Voluntas Dei fiat ».

Cum paucis post diebus febris decresceret atque adeo penitus evanesceret, quamquam dolores numquam abierunt, in spem ingrediebamur fore ut cito sanitatem recuperaturus esset; cum die 24 Octobris medici animadvertunt formatum esse abscessum internum iuxta intestinum, et aegrotum in nosocomium transferendum

esse censent, ut abscessus arte chirurgica rescindatur. Facile patet quam grave id esset Patri Nostro, qui a primis annis suae gubernationis operam enixe dederat ut Nostri non in nosocomiis sed domi nostrae ut plurimum curarentur; praesertim cum timeri posset ne extra domos nostras supremum diem obiret. Sed cum R. P. de Boynes, eius Praefectus valetudinis, certiorem eum faceret Patres Assistentes (quorum ex praescripto Constitutionum est de salute Praepositi Generalis providere) curationem chirurgicam suadere, statim oboedit et vult quam primum in nosocomium iter facere. Convenit tamen cum medicis ut si incisione facta animadverterent vix ullam spem esse, statim curatione omissa eum in Curiam remitterent. « Hoc eis non placet — aiebat — sed oportet Religiosum in sua domo religiosa mori ».

2. In nosocomio.

Itaque die 26 mane, ut scitis, carus aegrotus transfertur curru lecticali in nosocomium « *Quisisana* » dictum, cuius curam habent Sorores S. Crucis ab Ingenbohl. Accurrimus multi ad ianuam, ut nostram devotionem et amorem dilectissimo Patri navemus; ille paterne subridet et manu singulos valere iubet.

Fiunt interea continuae preces in omnibus nostris domibus romanis, primum per intercessionem S. Alfonsi Rodríguez dein per eam S. Stanislai Kostka, in cuius feriis novendialibus aliqui cotidie Patres pro hac intentione ad Sancti aram Sacrum faciunt. Et initio quidem orationes nostrae exaudiri videbantur a Domino. Chirurgica enim incisio feliciter successit, et primis deinceps diebus aegrotus refici aliquantum visus est. Verum tamen vulnus, quod apertum relinqui debuit, suppurare non cessabat et dolores graviores in dies fiebant.

Praesto semper ei erat unus e nostris FF. Coadiutoribus, qui alii aliis invicem succedebant; licet enim ob suam humilitatem nollet Pater Noster ut Sacerdotes sibi ministrarent, magno ei solacio erat aliquem Nostrum continenter apud se habere. Invisebant praeterea eum cotidie R. P. Schurmans et R. P. de Boynes, hic mane vespere ille, et interdum (ob summam quidem aegroti debilitatem, non ita crebro ut nobis optabile foret) alii quoque Patres. Ex externis, quibus ob eorum dignitatem ingressus prohiberi non potuit, affuerunt multi Cardinales, Legati nationum exterarum, Superiores Generales Ordinum Religiosorum. Immo, Summus Pontifex saepe mittebat sive suum Praefectum Cubiculi Secreti, sive ipsum Em.mum Cardinalem Secretarium Status, qui Apostolicam Benedictionem infirmo ferrent et de vero eius statu per se ipsi certiores

fierent. Inter Legatos nationum exterarum studiosissimum se praebuit Iaponus, qui et symbolicum rosarum fasciculum misit et sciens Patrem Nostrum fere nihil cibi praeter theam sumere, anglicam optimae notae theam curavit obtinere. Ex aliis quoque domibus et Provinciis plures afferebantur epistolae, per quas Nostri suum dolorem et anxietatem ostendebant, nuntios quaerebant, obsequia spiritualia mittebant; non pauci — ut fertur — vitam suam pro Patris Nostri sanitate Deo obtulerunt.

Omnes sive Nostri sive externi admodum aedificati manebant quotiescumque eis cum illo per breve tempus esse permittebatur. Quidam Em.mus Cardinalis, dum ex eius cubiculo exiret, cum lacrimis repetebat: « Est vir vere sanctus ». Alius benedictionem eius recipere voluit antequam Exercitia annua inciperet. Commotus etiam fuit Magister Generalis PP. Praedicatorum, cui Pater Noster dixerat: « Oret Paternitas Vestra ut sanctam mortem habeam ».

Etenim cunctae illae virtutes, quas in eo semper admirati sumus, hoc aegrotationis tempore, singulari ratione splendebant. Proferebatur in primis eius spiritus supernaturalis sive in religiosa et sincera pietate, qua familiariter cum Deo loquebatur, sive in magna fiducia qua totum se et omnia sua Divinae Providentiae curis committebat, sive etiam in plena deditione qua nihil aliud cupiebat nisi ut voluntas Dei in se et in omnibus fieret. Probe cognoscebat difficultatem temporum, quibus Societatem relinquebat, sed — cuidam Patri aiebat — « Dominus omnia, omnia, omnia... in bonum *carissimae* Societatis diriget » (verbum '*carissimae*' ea vocis intentione exprimens, qua suum erga Societatem amorem ostendebat); et recitans S. P. Ignatii verba: « quae conservatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem Iesu, ut eam dignata est incohare », adiungebat: « omnia inde pendent ». — FF. Coadiutores, qui ei auxilium praestabant, omnes in hoc consentiunt: nihil adeo eos commovisse quam Patris Nostri integram deditionem et conformitatem voluntati divinae in doloribus corporis. « Voluntas Domini, tantum hoc » saepe repetebat; « Ut Dominus velit », « Ut Ipse velit ». « Quam vehementer urit (vulnus)! — quondam dicebat — sed Dominus Iesus ita res disposuit et bene est ». Cuidam dicenti non esse de morte cogitandum, nos enim enixe pro eius sanitate orare, respondit: « Non, non; orate ut Dei voluntas fiat ».

Hic spiritus supernaturalis, haec simplex et absoluta cum divina voluntate conformitas eius animum sustinebant in acerbis doloribus, qui, praesertim a die 11 Novembris, graviores fiebant. « Cruciatur nimis Paternitas Vestra? », interrogavit quodam die R. P Schurmans. « Non — respondit — numquam nimis, numquam satis ». — « Sed cruciatur multum », adiunxit P. Vicarius. — « Ah,

certe, multum », inquit. — Et dolores quidem vehementissimos esse oportebat. Continuae enim vulneris suppurationi accessit intestini perforatio, ob quae quater vel quinquies cotidie curari debebat. Ille se in manus Infirmarii relinquebat magna cum simplicitate, humilitate, patientia. Qui, si quando in curatione gemitum continere non posset, statim excusationem a Fratre petebat. Noluit ut iniectiones adhiberentur ad dolores mitigandos; nam — aiebat — « Dominus Noster multo gravius passus est ». Pariter, cum sibi proponeretur corporis habitum in lecto mutare, respondebat: « Alii Nostri graviora patiuntur ». Nec volebat ut ad fetorem tollendum vel ad refrigerandas manus et caput aqua odorifera afferretur, quippe qui id « luxum nimium » esse censeret; quamquam postea eam admisit, ne aliis molestiam exhiberet.

Mediis tamen in his tam acerbis cruciatibus, magis de aliis quam de se ipso sollicitus esse videtur. Ille, quem semper amantissimum Patrem cognovimus, anxius est de valetudine Fratris Infirmarii, quem tussire audierat; alium Fratrem semel atque iterum interrogat num forte nocturnae vigiliae eius valetudini nocerent, num nimis onerosus ei esset labor Patrem in lecto erigendi; curat ut Frater, qui secum noctu mansurus est, aliquid coffeae sumat, et saepe ante mediam noctem quaerit num iam id sumpserit; desiderat Fratrem non in communi sella sed in artisellio (« fauteuil ») sedere, et lampada inclinat, quo melius Frater aliquid somni capiat (dum ipse ob continuos dolores dormire nequit); differt fasciarum mutationem usque ad multam noctem, ut Infirmarius quiescere possit.

Animo pariter gratissimo erat ob singula quae ei praestabantur et ob preces quae pro ipso fiebant. Verecundia se affici dicebat ob sedulitatem qua tractabatur; « humiliationi quidem est tam bene tractari » — aiebat. Cum quidam Frater eum certiorem faceret de precibus quas Coadiutores omnes Deo pro illo adhibebant, respondit: « Plurimas ago gratias bonis Fratribus; dic eis me *singulari omnino ratione* precibus carissimorum Fratrum confidere »; et iteravit: « *singulari omnino ratione* », verba singula cum vi et affectu premens.

3. De receptis morientium Sacramentis.

Etsi remedia omnia comparabantur, quae peritissimi medici invenire poterant, et postremo vis quoque electrica aegroto adhibita est, nihilominus nocte, quae post diem 26 Novembris proxima fuit, gravior ingruit haemorrhagia. Pater Noster, videns finem appropinquare, proximo die 27 mane medicum arcessivit eumque instanter rogavit in Curiam denuo transferri. Consentiente medico, hora cir-

citer 11½ matutina accepimus ad ianuam carissimum Patrem, qui doloribus ac summa debilitate prostratus, gracilissimus, cereo colore, sed consolationis plenus, de curru deducitur et ad valetudinarium ferculo portatur. Eo ipso die vespere, ut ex litteris R. P. Vicarii omnibus quoque notum est, rogavit ut morientium Sacramentis sibi muniri liceret.

Die igitur 28 Novembris, festo B. Iosephi Pignatelli, hora 11 convenimus omnes in Sacellum Domesticum ut comitemur SS. Sacramentum in aegroti cubiculum. Adsunt praeterea plures Rectores et alii Patres ex domibus romanis. Nonnulli lacrimas continere non possunt. Pater Noster, vultu sereno, totus in oratione collectus, per totam caeremoniam manus ad pectus iunctas habet; solum ad verba « *paradisi portas aperiat* » conspicitur manus disiungere, ut qui hoc Ecclesiae desiderium quam primum exsequi exoptat. Antequam Sanctum Viaticum sumeret, in magna omnium commotione et silentio, auditur vox dilectissimi Patris, qui cum sincera pietate, humilitate, amore, licet submisse et difficulter ob virium defectionem, illam pulcherrimam supplicationem profert, quam die 14 Decembris R. P. Vicarius cum Societate communicavit. Dein, ritibus omnibus absolutis, priusquam SS. Sacramentum in Sacellum reportet, R. P. Schurmans, nomine totius Societatis, his verbis eum alloquitur: « Admodum Reverende Pater, hac sollemni occasione, Paternitatis Vestrae filii hic astantes simulque omnes filii Societatis in universis orbis plagis versantes, Paternitati Vestrae gratias agere exoptant de tot tantisque laboribus sive pro eis singulis sive pro tota Societate sui regiminis tempore susceptis; de propriis defectibus veniam ex corde petunt et dolent si quando paterno Eius cordi aliquid doloris attulerunt; Eiusque paternam benedictionem implorant ». Quibus verbis Pater Noster respondit manum dexteram elevans et signum crucis lente ducens ac distincte formulam consuetam benedictionem pronuntians, additis in fine verbis: « *ad maiorem Dei gloriam* ».

De illa vero Patris Nostri supplicatione quaedam praeterea enarrare velimus quae satis aperte monstrant quam accurate usque ad extremam vitam ille perpenderet singula quae ad Societatis bonum pertinerent.

Duo Patres potuerant, dum Pater Noster loqueretur, singula fere eius verba scriptis mandare. De quo postea ipse certior factus, postulavit ut verba scripta sibi recitarentur, volebat enim ut sua mens fideliter exprimeretur. Quaedam retractavit, in quibus dicebat se implicatum fuisse, et hoc modo permisit ut supplicatio cum Societate communicaretur. Sed cum ad hanc communicationem faciendam subiceretur eius approbationi quaedam valde brevis ac simplex litterarum forma, ipse propria manu stilo lapideo scripsit:

« Hoc ita mitti non potest, est enim nimis frigida (forma) ad tales litteras; ne mentio quidem fit de meo grato animo ob preces factas ». Paratae ergo sunt alterae litterae; quibus tamen lectis ipse propria quoque manu subscripsit: « Curaveram ut RVae. diceretur in praesenti *nihil* iam esse faciendum. Utique, haec litterarum forma est multo melior, sed vires non habeo ad quaedam retractanda. Relinquamus ergo totum Providentiae divinae et ne amplius de eiusmodi epistola cogitemus. W. Ledóchowski ».

Eodem die 28 Novembris Summus Pontifex, cum de accipiendis a Patre Nostro ultimis Sacramentis certior factus esset, hoc telegramma ei misit:

A Wlodimiro Ledóchowski Preposito Generale della Compagnia di Gesù Borgo Santo Spirito 5 Roma.

Cittadelvaticano 28 Nov. ore 9,35

A quel Gesù nella cui santa ed intrepida milizia hai combattuto la buona battaglia ti raccomandiamo oggi con preci particolari memori di tutti i vincoli che alla tua persona Ci legano mentre afflitti per la dolorosa tua infermità confortiamo il tuo filiale abbandono nelle braccia divine con la Nostra speciale benedizione apostolica. PIUS PP. XII.

(*Versio latina*)

« Illi Iesu, in cuius sancta atque intrepida militia bonam pugnam pugnasti, te hodie peculiaribus precibus commendamus, memores omnium illorum vinculorum quae Nos tibi ipsi pie coniungunt; dum afflicti ob tuam acerbam aegrotationem, filialem tuam in Dei manus deditionem speciali nostra Benedictione Apostolica confirmamus. — Pius PP. XII ».

4. De ultimis diebus.

Sequuntur duae hebdomadae doloris et continuae orationis. Nos quidem pro sanitate carissimi Patris continenter et enixe precamur: incipimus novendialia Missarum et precum in honorem Cordis Immaculati B. Mariae Virginis, per intercessionem Servi Dei P. Ioannis Roothaan, pro cuius causa beatificationis Pater Noster operam sedulo dederat. Collocantur in aegroti cubiculo imago Purissimi Cordis et cor Patris Roothaan (quod tamen humillimo Patri quid nimis visum est). Ipse vero de nihilo iam nisi de morte cogitat et de praeparatione ad transitum ex hac in alteram vitam. Co-

tidie, nisi nimia stomachi nausea omnino impediatur, recipit Sacram Communionem, in qua ei administranda vult ut semper Viatici formula adhibeatur. Dein, per totum diem ac noctem in oratione immersus apparet.

Interdum, praesertim cum dolores acerbiores fiunt, oculos in imaginem Crucifixi, quam ante se habet, conicere conspicitur, saepe etiam brachia in crucis formam porrigens, quasi hoc gestu diceret: « Fiat voluntas tua; Christo confixus sum cruci ». Interdum quoque preces iaculatorias voce submissa emittere audiebatur, « *Boże mój, Boże mój* (Deus mi, Deus mi) « Iesu », « Iesu mi », « Veni, noli tardare », « O Mater mea », « O Cor Mariae Immaculatum », « O Mater Dei Starawiensis, ora pro me ». — Quodam die vidit eum Frater ad imaginem Cordis Immaculati Mariae subito se convertere atque exclamare: « O Mater mea, ne me derelinquas », et statim ad consuetam suam tranquillitatem reverti. — Alia nocte, cum dolores vulneris graviores fierent, noluit Infirmarium arcessere, ut proposuerat Frater, qui ei assidebat; sed paulo post misit Fratrem in Sacellum qui Dominum oraret ut dolores aliquantulum mitigarentur; subiciens tamen: « Sed sicut Ipse velit ». — Sumebat etiam in manibus imaginem Crucifixi et, eum lente ac devote contemplans, quinque Domini vulnera cum magna pietate osculabat. « Est Crucifixus Noviciatus », inquit quondam commotus Fratri Coadiutori. In hoc Crucifixo ipse novacula sculpserat: « *R*(egula) *11* », « *Tu sequere Me! Sitio* » « *Dilexit me* ». Dum hunc Crucifixum quadam nocte Pater Noster in manibus haberet, audivit Frater eum dicentem: « Deus, propitius esto mihi peccatori », et postea eadem effigie pectus fortiter eum tundere vidit.

Cotidie recitabat cum Fratre Coadiutore Litanias SS.mi Cordis Iesu et Consecrationem erga Cor Immaculatum Mariae. Cum quadam die, dum in Litaniis dicendis esset, ingrederetur cubiculum medicus, et Frater preces interrumpere vellet, Pater Noster medico ait: « Bona venia Doctoris nostras preces conficiemus; finiemus enim statim ». Et eis absolutis, adiunxit: « quam pulchrae sunt hae Litaniae! ». Alio die misit Fratrem in suum cubiculum ut annotationes spirituales sibi afferret; quaesivit in eis verba quibus S. Bernardus nos invitat ad Virginem Mariam in angustiis, in periculis, in difficultatibus invocandam, quae ipse sibi sua manu exscripserat, et Fratrem rogavit ut eas recitaret. — Voluit etiam alia occasione ut sibi legerentur Regulae 50 et 51 Summarii, quo accuratius se accommodaret iis quae Constitutiones aegrotis et morientibus praescribunt; ita amantissimus Instituti, usque ad finem et exhortatione et exemplo fidelis eius custos permansit.

Noctu cum se ad dormiendum disponeret (si quid tamen dormire posset) Infirmarius ei aquae benedictae pelvim porrigebat;

ipse se devote signo crucis signabat et tunc dicebat: « *Nos cum prole pia* ... ».

Voluit misericors Deus duas ei consolationes concedere. Die enim 6 Decembris Em.mus Cardinalis Boetto, cui ob graves temporum difficultates Dioecesim prius relinquere non licuerat, Genua in Curiam nostram venit et usque ad diem 12 Patrem Nostrum cotidie invisere potuit. Die vero 8, Immaculatae Virginis Conceptioni sacro, Romam pervenit novus P. Assistens Hispaniae, quem ipse antequam moreretur videre magnopere optaverat. Hoc etiam die, cum Summus Pontifex, post Benedictionem Eucharisticam in S. Petri Basilica habitam, e fenestra Apostolicam Benedictionem impertiretur, Pater Noster, cuius cubiculi fenestram Infirmarius aperuerat, magno solacio affectus est audiens acclamationes boni populi romani.

Nec defuit familiae suae recordatio peculiaris. Iam die 26 Novembris, per litteras fratri suo Ignatio datas, benedictionem omnibus suis miserat. Die vero 10 Decembris, cum vires prorsus deficerent, potuit tamen eidem Ignatio hanc parvam epistolam propria manu exarare:

« Carissime frater,

Optimas gratias ago ob tuas litteras die 17-XI datas. — Deus omnibus vobis caris benedicat. Usque dum iterum conveniamus in caelo. Velit Beatus Simon Lipnicensis populum, civitatem, agrum Divino Cordi commendare.

Usque dum iterum conveniamus in caelo.

In intimo amore
Wlodimirus S. I. »

Interea vires infirmiores in dies fiebant; crescebat difficultas cibi sumendi; vita videbatur sensim exstingui.

Duobus ultimis diebus statuerunt Superiores ut praeter Fratrem Coadiutorem Pater quoque aliquis apud eum continenter maneret. Intellegi facile potest cum quanta animi consolatione et commotione acciperemus singuli hoc privilegium comitandi per aliquam horam carissimum Patrem. Ipse cum quis novus ingrediebatur, ad omnia semper attentus, paterne subridebat; postea iterum se in Deo totus colligebat. Acerbe cruciari conspiciebatur. Interdum manu quaerebat catenellam, qua e collo pendebant quaedam numismata sacra, parvus Crucifixus, et illud Lignum Crucis, quo cotidie vespere solebat benedicere omnibus suis filiis, praesertim Missionariis, stipendia merentibus, bello captis, in concentrationis campis (qui dicuntur) detentis. Alias oculos ad effigiem Crucifixi vel etiam ad caelum attollebat.

Hoc modo ad diem 13 pervenit. Erat hic dies festus Sanctae martyris Luciae, quae ei illo mense Decembri in Patronam menstruam obtigerat. Magnam semper habuerat devotionem Pater Noster erga Patronum menstruum; ita ut si mense exeunte a Roma abesset, et Frater Aedituus ei chartulam Patroni mittere oblivisceretur, illam statim peteret, eaque accepta saepe Fratri per litteras gratias ageret. Voluit ergo benignissimus Deus ut festus Patroni menstrui dies, ultimus esset dies eius vitae mortalis. Iam nihil cibi sumebat; recepit tamen Sacram Communionem et audivit duas Missas, quae in annexo valetudinarii Sacello celebratae sunt.

Vespere, hora 4½, ut solebat, Em.mus Cardinalis Secretarius Status ei iterum Apostolicam Benedictionem Summi Pontificis attulit. Post horam, cum vires deficere viderentur, moniti omnes convenimus in parvum cubiculum; aderant quoque P. Provincialis Romanus et alii Patres.

Iacebat venerandus Pater serenus, quietus, tranquille sine labore respirans, manibus ad latus porrectis. Huc Fr. Infirmarius pulsum attingebat, illuc R. P. Magni, Assistens Italiae, commendationem animae elata voce recitabat. Ipse P. Generalis Patrem Magni rogaverat ut sibi hora postrema adesset, eique singillatim dixerat quas preces iaculatorias et quo modo sibi subici vellet.

Videbatur manifesto aegrotus verba liturgica mente sequi, licet clara voce respondere non posset. Ad verba « *Peccatores, te rogamus audi nos* », manum dextram levavit et supra pectum eam cadere sivit, tanta vi ut audiretur ictus sonitus. Hic actus humilis confessionis fuit ultimus eius gestus.

Post commendationem animae, R. P. Magni, secundum normas ab eo acceptas, incepit lente aliquas preces iaculatorias ei subicere: « *Veni, Domine Iesu* », « *Cor Iesu, confido in Te* », « *Dulce Cor Mariae, sis salus mea* ». E labrorum motu cerni poterat quemadmodum aegrotus eas sequeretur et mente repeteret. Hora circiter 6½ Summus Pontifex certior factus de aegroti statu ultimam suam Benedictionem Apostolicam misit. Respiratio reddebatur debilior et tardior. Tandem hora circiter 6¾, sine agonia, sine sudore, sine ullo labore, animam placidissime Deo reddidit, adeo placide ut aliquot momenta dubitaremus num etiam tunc viveret.

Recitato Responsorio, PP. Assistentes primum, dein astantes omnes, singuli accedentes, ultimum affiximus osculum eius carae manui paternae.

5. De luctu et funeribus.

In magna nostra animi aegritudine ob tanti Patris amissionem, non parvi solacii fuit sincera luctus significatio, quam mortis nuntium in omnibus fere civium ordinibus excitare vidimus.

Et in primis, Summus Pontifex, ut nobis postea relatum est, cum per telephonium de re certior factus est, astanti dixit: « Mortuus est P. Generalis Societatis Iesu; dicamus Psalmum '*De Profundis*' ». Et cum Psalmum flexis genibus recitasset, dum pronuntiaret verba « *Requiem aeternam dona ei Domine* », manus quas iunctas ante pectus habuerat disiungens, signum Benedictionis lente descripsit. Tunc exsurrexit et exclamavit: « Tristis casus! », et multa in laudem Patris Nostri subiungens, prae aliis dicere non dubitavit eius causam beatificationis introduci posse. Quae omnia cum alter quaereret num nobis referre posset, Sanctitas Sua respondit: « Certe; et dicas eis praeterea Nos hodie vespere Rosarium pro P. Generali cum Nostra familia esse recitaturos, cras vero pro eadem intentione Sanctam Missam esse oblaturos ».

Interea, eo ipso die 13 Decembris, corpus venerati Patris, vestibus sacerdotalibus indutum, in nostram parvam ecclesiam delatum est, ut per tres dies, antequam in arca componeretur, quam plurimi Missam « de corpore praesente » celebrare possent vel coram eo Deum precari.

Statuerant Superiores ut Patres et Fratres Curiae, per vices, diem noctemque, bini vigilias ante corpus agerent. Sed praeter hos, multi semper e Nostris in ecclesia orantes videbantur.

Externorum autem frequentia tanta fuit quanta exspectationem omnium superaret: non enim solum viri primarii, Cardinales, Praelati, Legati nationum exterarum, Superiores Ordinum Religiosorum, sed multi alii continenter affluebant. Ita ut in libris ad ianuam appositis mille quingenti nomen subscriberent, cum tamen non pauci eorum qui affuerunt nomine non notato discederent, alii, ut Superiores Religiosi, unum nomen pro omnibus sibi subditis consignarent.

Sed magis quam numerus affluentium solacio nobis fuit animus eorum devotus et religiosus. Omnes enim pie orare conspiciebantur, quorum aliqui per multum temporis flexis genibus permanebant. Plurimi etiam sua rosaria et sacras imagines ad mortui manus admovere rogabant; ita ut Frater quidam Coadiutor de satisfaciendo huic pio desiderio solum curaret. Vel pueri visi sunt sine timore accedere et corpus quiete et reverenter contemplari. Quin immo, etiam gratiae curationum per Patris Nostri intercessionem impetratae esse dicebantur. — Uno denique verbo complexus est communem omnium sensum ille qui mulieri de plebe timide ad ianuam quaerenti « utrum cadaver an corpus Sancti exhiberetur », respondit: « et hoc et illud ».

Verum tamen inter signa benevolentiae erga Societatem exhibita, omittere non possumus ea quae Patres Praedicatores nobis hac occasione praestarunt. Ex antiqua consuetudine, quae ab ineunte

saeculo XVII originem ducit, invitati fuerant ut funeris exsequias in templo Nominis Iesu prosequerentur. Invitationem Rev.mus P. Martinus Stanislaus Gillet, Magister Generalis, libentissimo animo accepit, quod quidem ad exsequiarum sollemnitatem et devotionem magnopere pertinuit. Habuimus postea quattuor eorum hospites ad mensam ipso exsequiarum die 17, et cum ob ea omnia R. P. Vicarius gratias ageret et ducentas Missas in spirituale donum ex thesauro Societatis offerret, Rev.mus Magister Generalis pulcherrimas litteras ei misit, in quibus commemorabat vincula verae caritatis et concordiae, quae utrumque Ordinem Religiosum coniungunt, afferebat nonnulla decreta a suis Capitulis Generalibus annis 1596, 1644, 1656 in favorem Societatis lata, et Patris Nostri laudes multis ac sinceris verbis praedicabat. Harum quoque litterarum caput infra subiciemus.

De promulgatione Vicarii Generalis iam P. Secretarius, per litteras ad Praepositos Provinciales die 14 Decembris datas, retulit. Aderant Professi fere omnes, ad numerum centum et quinquaginta, non sine vera animi commotione, quasi vocem amissi Patris etiam tunc audirent. En autem verba ipsa, pulcherrima quidem, quibus Pater Noster usus est in Vicarii nominatione facienda:

« *Oboediens Sancti Instituti nostri praescriptis, divino implorato auxilio, Vicarium Generalem post mortem meam constituo*:

R. Patrem Alexium Magni, Assistentem Italiae, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Animam vero meam enixe precibus carissimorum Patrum Fratrumque commendo ».

Die 16, hora matutina 11½, astantibus Patribus et Fratribus Curiae, veneratum corpus cum omnibus sacerdotalibus vestibus in arca compositum est; et vespere, hora 4, privatim, comitantibus tantum PP. Assistentibus aliisque perpaucis, in templum Nominis Iesu reductum. Praestolabantur ad templi ianuam Patres et Scholastici omnes, superpelliceo induti, cereisque accensis, qui accepto feretro et ante aram maximam collocato, Matutinum Defunctorum, simplici quidem modo, ut mos noster est, at valde devote recitarunt, hoc postremum devotionis tributum Patri desideratissimo praestantes.

De sollemnibus funeris exsequiis die 17 habitis, sat multa cotidiana folia retulerunt. Id unum adiungemus: omnes uno ore miratos dixisse se numquam similes exsequias vidisse, quae tanta cum gravitate tantam miscerent devotionem. Cum enim adessent fere omnes Em.mi Cardinales (qui Congregationem Plenariam, quam vocant, distulerant ut in funus venire possent), Legati nationum exterarum apud Sanctam Sedem quam plurimi, Episcopi et Praelati multi, Superiores Generales Ordinum Religiosorum, Principes

ac Patricii Romani, tanta populi frequentia, ut vasto templo repleto non pauci ingredi prohiberentur; ea tamen erat omnium pietas et reverentia, ut manifestum fieret in magno templi silentio vere et fervide Deum orari.

Canentium chorum ducebat Magister Laurentius Perosi, qui, pro suo erga Patrem Nostrum amore, eam sibi gratiam fieri postulaverat.

Dictis Laudibus a Patribus Dominicanis, et Missa a Rev.mo P. Gillet celebrata, sollemne Responsorium ad tumulum canitur. Post, externis dimissis, nos omnes currum funebrem per urbis vicos, Marianum Rosarium recitantes, aliquantulum comitamur. PP. Assistentes et alii pauci designati feretrum ad coemeterium Agri Verani reducunt, ubi in nostra aedicula iuxta R. P. Franciscum Xaverium Wernz sepelitur. Loculo elogium hoc inscribetur:

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS SOC. IESU
A SOCIETATE CONDITA XXVI A RESTITUTA VIII
NATUS EST GENTE POLONA LOOSDORFII AUSTRIAE OPPIDO
NON. OCT. AN. MDCCCLXVI
SUMMUM ORDINIS MAGISTRATUM GESSIT ANNOS XXVII M. X D. II
IN PACE CHRISTI PLACIDISSIME QUIEVIT
ROMAE IN CURIA GENERALICIA ID. DEC. AN. MCMXLII

BEATUS IN DEO VIVAS PRO FILIIS INTERCEDENS

6. Testimonia consolatoria.

Ex sescentis consolatoriis epistolis, telegrammatis, schedis, quae hac occasione ad nos allata sunt, excerpta quaedam afferimus, quam fidelissime latine reddita, ut in tanto dolore haec communis amoris ac venerationis erga Patrem Nostrum significatio omnibus Nostris solacio esse possit.

Em.mus Cardinalis Aloisius Maglione (Secretarius Status). Cum R. P. Vicarius misisset Summo Pontifici duas photographias, alteram vivi, mortui alteram Patris Nostri imaginem exprimentem, Em.mus Cardinalis Secretarius Status, Sancti Patris nomine, per has litteras respondit:

Augustus Pontifex est erga te gratissimus, quod clarum cepisses consilium Ei submisse offerendi duas illas photographias effigiem veneratissimi Patris Wlodimiri Ledóchowski exprimentes, cuius gravissimam amissionem Ille quoque, simul cum tota dilecta Societate Iesu, adhuc deplorat.

Mitis eius ac luminosa imago est Sancto Patri carissima; videtur enim

illa Eum hortari ut cogitet pientissimum Patrem, qui eximium fuit exemplar devotionis erga Sacram Personam Vicarii Christi, esse nunc in caelo efficacem luminis et roboris et solacii intercessorem pro Eo qui, luctuosissimis hodiernis temporibus, naviculam Petri in portum securum ducere debet.

Idem ergo Sanctus Pater singulari benevolentia gratias tibi agit, Reverendissime Pater, et libenti animo mittit tibi et Societati universae novam Benedictionem Apostolicam, quae plenius ac melius in dies in effectum adducat ea quae defunctus Pater Generalis iure atque ardentissime speravit ».

Em.mus Cardinalis Vincentius La Puma (Praefectus S. Congregationis de Religiosis). Coram cum quodam Patre de P. Generali agens, ita dixit:

« Ait quidem Imitatio Christi: 'quoties inter homines fui minor homo redii' (l. I, c. 20); ego autem dicere possum e colloquio cum Patre Ledóchowski meliores et magis in spiritu corroboratos semper nos redire ».

Em.mus Cardinalis Eugenius Tisserant (Secretarius S. Congregationis pro Ecclesia Orientali). Binas misit litteras, alteras privatas, nomine S. Congregationis alteras. In primis illis haec inter alia ait:

« Quoties miratus sum Patris Ledóchowski consilium prudens, iudicium rectum, praeceptum firmum! Quantus vigor in corpore tam infirmo! Et quae benignitas et considerata et simul efficax! dubitare non possumus quin bene a Domino acceptus sit: tanta enim pertulit his postremis annis, plus etiam animo quam corpore »!

In litteris, quas Praefectus S. Congregationis dedit, haec addebat:

« Societas Iesu res quidem memoria dignas omnesque aedificationi aptissimas de Patre Ledóchowski narrabit. Haec autem S. Congregatio dicere potest eius Generalatum splendide notatum esse, fortasse prae ceteris omnibus, intima, generosa, audaci comprehensione, qua ille intellexit necessitatem constituendi atque fovendi manipulos Iesuitarum, qui immutatum suae vitae religiosae vigorem in orientalium rituum varietate viverent ... Hac de causa, S. Congregatio pro Ecclesia Orientali reddit memoriae Patris Ledóchowski testimonium fervidae admirationis, et in eius amissione amissionem illustris et sapientis collaboratoris deplorat ».

Em.mus Cardinalis Petrus Fumasoni-Biondi (Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide):

« Potius quam doloris (Societatis), particeps fio precum pro illa benedicta anima, quae, ut spero, iam in gloria caelesti intercedit pro nobis et pro Ecclesia, cui tanta cum fidelitate et amore deservivit ».

Exc.mus D. Celsus Costantini (Secretarius S. Congregationis de Propaganda Fide). Cum quodam Patre loquens, haec dixit:

« Ecclesia amisit magnum Missionarium. Vester P. Generalis habebat verum sensum Missionum; plene menti Summi Pontificis consentiebat; ad Cleri indigeni institutionem tradidit vestris Missionariis normas vere eximias » (Cfr. « L'Osservatore Romano », 13 Ianuarii 1943).

Ill.mus D. Aurelius Signora (Secretarius Consilii Generalis Operis a S. Petro Apostolo pro Clero Indigena):

« A. R. P. Ledóchowski omni quidem tempore tribuit Operi nostro singulare studium ac benevolentiam, quorum memoriam hoc Opus semper servabit. Sed praesertim his postremis annis et in primis occasione quinquagesimi anniversarii ab Opere condito, Consilium nostrum hanc eius eximiam benevolentiam grato animo aestimare potuit. Complures praeterea epistolae, quae hac occasione ex variis Missionum Seminariis a Patribus Societatis Iesu gubernatis ad Consilium pervenerunt, tam sinceram atque universalem virium coniunctionem ei demonstrarunt, ut facile esset in hoc filiorum studio benignitatem Patris invenire.

Hic ipse annus, quo Patris Ledóchowski splendidus vitae cursus conficiebatur, nobis attulit, in designandis Apostolatus Orationis intentionibus, novum testimonium magnae benevolentiae desiderati P. Generalis erga nostri Operis finem, conatus, spes.

Animo ergo commoto et memori ac filiali prece, hoc Generale Consilium filiis Societatis Iesu coniungitur. Non omittet autem omnibus Directoribus Nationalibus atque omnibus Seminariis commendare ut A. R. Patris Ledóchowski memoriam honorent, eas pro eius anima preces adhibendo, quas Opus nostrum pro suis inter Benefactores carissimis facere solet ».

Ill.mus D. Aloisius Cornaggia Medici (Protonotarius Apostolicus):

« Particeps fio vestri doloris, qui tamen quiddam caeleste in se habet.

Equidem ego numquam cum vestro Praeposito Generali locutus sum, atque adeo vix eum de facie noveram. Tamen id animo sentio, quod in morte Sancti sentitur.

Hodierno mane S. Missam pro eo celebravi, persuasus autem eum suffragiis non indigere ac meipsum eius patrocinio commendans. Immo, eius curae commisi quandam meam summam necessitatem ».

Rev.mus P. Martinus Gillet (Magister Generalis O. P.):

« Hic sanctus Religiosus, in consiliis tam prudens, in gubernatione tam firmus, in propositis tam rectus, reverentiam sibi conciliabat ob suam sapientiam, auctoritatem, modestiam. Sciebat et se obscurare, ut minimus suorum Religiosorum, et, cum opus esset, se proferre, ut eorum maximus. In eius pectore generosum palpitabat cor, quod, urbano suo subridendi modo, speciem ei praebebat simplicem atque iucundam. Caritas, qua flagrabat, eius illuminabat oculos et in toto homine fulgebat. Quicumque eum adibant, sicut nos ipsi, sincera quadam et benevola erga eum veneratione afficiebantur. In imbecillo corpore, hic homo nobilis, cuius familia in fundo nostri Conventus Potkamiensis monumentum Beatissimae Virgini erexit, magnum animum occludebat... Numquam quidem dicendi finem faceremus, si computare deberemus virtutum interiorum atque eximiarum dotum thesaurum, quem eius modestia continenter occultabat. Tamen, antequam has litteras conficiam, velim, Reverendissime Pater, iterum animadvertere Patris Ledóchowski rectitudinem propositi et agendi sinceritatem. Credebat Paci et volebat Pacis imperium, ubicumque fieri posset, constituere et conservare. Vidimus eum operam dare ut concordiam tueretur inter duas nostras familias religiosas, quotiescumque agebatur de iuvenilibus aestibus mitigandis, qui, quamvis generosi, ob iurium acquisitorum ignorantiam, illam perturbare intentabant. Verbo, gratulandum nobis ipsis

tantum est ob commercium quod cum vestro P. Generali habuimus. Notatum semper fuit hoc commercium mutua quadam comprehensione, quam ingenua confidentia et sanctus amor sustinebant ».

Rev.mus P. Leonardus M. Bello (Minister Generalis O. F. M.):

(Patris Ledóchowski memoria) « in nobis remanebit lucidum astrum tutam spiritus viam demonstrans, quam percurrere debemus ut ad perfectionis fastigium perveniamus ».

Rev.mus P. Beda Hess (Minister Generalis O. F. M. Conv.):

« Ut particeps fiam doloris Societatis, me quidem impellit summa admiratio et veneratio et sincerus amor, quibus erga mortuum P. Generalem afficiebar. Eius carae animae pacem quidem imploro; animo tamen persuasus sum eam locum inter Sanctos et Beatos sui Ordinis iam cepisse.

Hac luctuosa occasione usus, R.am V.am certiorem facio ... me curasse ut centum Sanctae Missae pro benedicta anima desiderati P. Generalis celebrentur ».

Rev.mus P. Donatus a Welle (Minister Generalis O. F. M. Cap.):

« Fuit ille vere 'fidelis servus', omnino plenus Dei et eorum quae ad Deum pertinebant; vir eximii ingenii plene veritati dediti; modestia, simplicitas, humilitas eum tam insignem et simul tam amabilem reddebant. Numquam obliviscar instantem humilitatem, qua, cum postremum gratia mihi facta est eum invisendi, me compellebat ut sibi Sancti Francisci benedictionem impertirem; et quemadmodum debuerim ipse manum ei apprehendere ut consentiret mihi invicem signum Crucis in fronte describere.

Statim celebrare incepimus Missas Gregorianas pro huius insignis et pulchrae animae aeterna requie ».

Rev.mus P. Titus S. Pauli a Cruce (Praepositus Generalis Congregationis Passionis):

« Nobis Passionistis singulariter carus erat bonus Pater (Ledóchowski) ob eximiam eius devotionem erga S. Fundatorem nostrum Paulum a Cruce atque ob amorem quem erga humile nostrum Institutum alebat; qui quidem illam devotionem atque hunc amorem quotiescumque occasio dabatur nobis libentissime manifesta faciebat ».

R. P. Ioannes Maria Le Bail (Procurator Generalis Missionariorum Societatis Mariae):

« Nostri postremi Superiores Generales, qui veneratum defunctum melius noverant, cum Romae commorabantur, eum adire non omittebant; ut lumen et consilium et animos acciperent ab hoc sancto Religioso, tam prudenti, tam affabili, qui constanter in oratione esse videbatur. Mihi vero opportunitas data est recipiendi ab eo pretiosissima consilia in difficillimis rerum condicionibus ».

Rev.mus D. Iosephus Bozzetti (Praepositus Generalis Instituti a Caritate):

« Ratione habita et gravis muneris, quo fungebatur, et virtutum, quibus ipse praeditus erat, mors Patris Ledóchowski detrimento est universae Ecclesiae; quare nos omnes, qui Ecclesiam amamus, sincero afficimur dolore. Hunc

autem dolorem acerbiorem mihi reddit recordatio illius benignitatis, qua me saepius excepit, illius animi tam ardentis tamque iuvenilis, etiam cum iam aetate provectus erat, tam ex spirituali laetitia sereni, etiam nubilissimis temporibus, tam ingenua effusione affabilis, tam sensibus ac persuasionibus integri ».

Rev.mus D. Petrus Ricaldone (Rector Maior Societatis S. Francisci Salesii). Die 8 Decembris, Taurino, litteras dabat ut de valetudine Patris Nostri sciscitaretur; et inter alia haec adiungebat:

« Ex toto animo offerimus severas probationes, quas his diebus subimus, quinque Opera nostra graviter laesa, dolores, timores, omnia — inquam — Domino offerimus ad impetrandum veneratissimo Patri Praeposito Generali levamentum et solacium et copiam gratiarum atque charismatum caelestium ».

Exc.mus D. Petrus Bučis (Superior Generalis Congregationis Clericorum Regularium Marianorum, Episcopus tit. Olympenus):

« Nobis quidem persuasum est nulla adversa esse secutura ex morte eximii Praepositi Generalis vestri... E medio Vestrum sublatus quidem est vir genere praeclarissimus, at operum meritorumque praestantia multo excelsior; sed in patria caelesti adiunctus est adhuc unus non paucis et non parvis, qui ex praestantissimo Ordine de aerumnis huius mundi in felicitatem patriae caelestis via perfectionis transierunt ».

Rev.mus P. Burchardus Winzen (Superior Generalis Instituti FF. Franciscalium Tertii Ordinis a Waldbreitbach):

« Cum hodie mane S. Missam coram caro eius corpore celebrarem, non solum pro electa eius anima oravi, sed etiam eam invocavi ut, his luctuosis temporibus, auxilietur suo Ordini et nostrae Congregationi, erga quam P. Ledóchowski veram semper benevolentiam ostendit ».

Exc.mus D. Carolus Sidor (Legatus Slovakiae apud Sanctam Sedem). In oratione ad Stationem Radiantem Bratislaviensem die 15 decembris habita, quam postea in foliis diurnis « Slovak » divulgavit, haec inter alia dixit:

« P. Generalis Societatis Iesu, nuper vita functus, ad totum orbem christianum pertinuisse dicendus est. Cum enim Nationes omnes singulosque homines magni semper aestimaret, cunctos defectibus ac vitiis liberare et ad superiorem perfectionis gradum evehere studebat, ut pax et coniuncta opera in populis atque in hominibus omnibus exsistere posset ».

Procurator Legationis magnae cuiusdam nationis apud Sanctam Sedem:

« Noveram Patrem Ledóchowski atque gratia mihi facta est identidem cum eo loquendi. Ex his quidem colloquiis semper discessi et spiritu et mente melior. Fuit ille vir quidem sanctus ».

D. Iosephus Astorri:

« Me ei coniungebat, praeter debitam erga eum reverentiam, singularis illa benevolentia, quam ipse erga me adhibere dignatus est, diuturno temporis spatio (amplius 30 annorum), quo gratia mihi facta est eum cognoscendi, et quo semper magni aestimavi, praeter sublimem eius spiritum, ingenuam illam urbanitatem et ingentem in proximos caritatem ».

Rev.da M. Datti (Vic. Gen. Societatis S. Cordis Iesu):

« Cum die Dominico vespere preces Commendationis animae recitaremus pro eo qui, ut nobis nuntiatum erat, in Dei iudicium erat iam venturus, consistimus commotae ad verba: 'Que Jésus-Christ vous place à sa droite dans la *Compagnie* de ses élus' (ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat); et sentiebamus eum, qui in tempore fuit fidelis *socius* Iesu, futurum esse etiam eius *socium* in aeternitate.

Vobis quidem et omnibus venerati demortui filiis magno solacio esse necesse est illum invenire in praeclaro eorum agmine, qui in hoc mundo solum maiorem Dei gloriam et maius animarum bonum semper quaesierunt. In caelo autem, ille esse perget 'Praepositus' auxilio Societatis, quam supernaturali quadam sapientia per annos sui diuturni et fructuosissimi Generalatus gubernavit ».

Rev.da M. Christina Estrada (Sup. Gen. Ancillarum Cordis Iesu):

« Casum eius doleo magna quidem moestitia at simul vero gaudio affecta, cum ante oculos meos versetur quod praemium nunc A. R. P. Generalis in caelo capere necesse sit, qui vitam summi laboris ac sancti apostolatus vixit.

Domibus nostris denuntiavi ut pro eius animae aeterna requie illa suffragia fiant, quae ex nostrarum Constitutionum praescripto pro Matre Generali Instituti nostri fieri debent ».

Rev.da M. Ioanna Corneau (Sup. Gen. Sororum a Coenaculo):

« Hodierna folia diurna nobis referunt A. R. P. Generalem ad Dominum rediisse heri vespere, die Dominico 'Gaudete', qui totus gaudio venientis Domini repletus est. 'Veniet Dominus et non tardabit, et manifestabit se...'. Et quidem, si ante oculos ponimus illam vitam plenam, in maiore Dei gloria procuranda omnino consumptam, non possumus quin his Ecclesiae sensibus nos coniungamus ».

NOVI SUPERIORES MAIORES

PRAEPOSITI PROVINCIARUM ET VICEPROVINCIARUM.

Aragoniae: R. P. Candidus Mazón.
Campaniae: R. P. Bernardus Jeannet.
Canadae Inferioris: R. P. Antonius Dragon.
Colombianae: R. P. Iosephus M. Posada.
Franciae: R. P. Marcellus Bith.
Romenicae: R. P. Cornelius Chira.
Slovakiae: R. P. Iosephus Jurovsky.

SUPERIORES REGULARES MISSIONUM.

Graecae (Sic.): R. P. Leonardus Filippi.
Kinghsiensis (Austr.): R. P. Franciscus Burkhardt.
Macäensis (Lus.): R. P. Elias Marçal.
Tamingensis (Hung.): R. P. Ioannes Takács.

NECROLOGIA

R. P. Ferdinandus Gutierréz del Olmo (Leg.), Assistens Hispaniae a die 31 iulii 1929, pie in Domino obiit die 18 septembris, aetatis anno 67, Societatis 52.

Ortus erat die 28 maii 1876 Celanovae in Galicia (Hispania). Post studia media in nostro Collegio Carrionensi peracta, die 20 iulii 1891 Societatem ingressus est Loyolae, Provinciae Castellanae adscriptus, donec post divisionem illius Provinciae (anno 1918) in novam Provinciam Legionensem est cooptatus. Praeter consuetum studiorum curriculum, physicis scientiis per biennium studuit, in iisque academicum licentiae gradum adeptus est. Has scientias simul cum mathesi decem annos, partim ante partim post sacerdotium, quo initiatus est die 30 iulii 1907, egregie docuit in Collegio Maximo Oniensi, cuius deinde Rector fuit. Hoc eodem munere functus in Pont. Seminario Comillensi, anno demum 1920 die 25 augusti regimen suae Provinciae Legionensis suscepit et sex annos optime administravit, cuius officii causa etiam Congregationi Generali XXVII (1923) adfuit. Tum Instructor tertiae probationis anno 1926 renuntiatus, magna cum satisfactione Tertianos Nostros excoluit, donec die 31 iulii 1929, P. Iosepho Barrachina non ita pridem vita functo, Assistens Hispaniae renuntiatus, Romam venit et mox etiam officium Praefecti spiritus Curiae assumpsit.

Ad initium usque superioris mensis augusti bona valetudine usus, coepit tunc febri cotidie laborare. Febris autem post mensem iam evanuerat, ita ut Pater aliquam horam e lectulo surgere potuerit, cum ecce necopinato peritonitis apparuit, quae post aliquos dies eius mortali vitae finem imposuit. Carissimus Pater mortem sibi proximam iam inde ab initio morbi persenserat, et Deo gratias agebat quod tam aptum praeparationis tempus sibi dedisset. Praeter exempla patientiae, fortitudinis animi, devotionis aliarumque virtutum, demonstravit vel maxime suum erga Matrem Societatem amorem; Societas enim, aiebat, « a teneris annis me docuit amare Iesum Christum, qui fuit centrum vitae meae ». Ac cuidam, ultimum consilium roganti, « hoc unum, inquit, dabo: amorem erga Iesum Christum, maxime in Eucharistia ». Primis horis vespertinis diei 17 voluit ut sibi legeretur *Commendatio animae,* quippe qui illam sui compos audire et meditari cuperet. Paulo post visus est ad extrema devenire.

Tunc R. P. Crivelli, Assistens Americae Latinae, coepit infirmo suggerere preces iaculatorias, quas ille miro animi ardore repetebat, oscula Crucifixo infigens. Ab hora fere quarta postmeridia-

na ad horam primam sequentis diei, Pater Noster, parvulo excepto temporis intervallo, ei continenter astitit. Hora autem tertia cum dimidio, accedente iterum proximo mortis periculo, vocatus accurrit; eoque astante cum R. P. Vicario aliisque paucis, hora circiter quarta, P. Gutiérrez del Olmo placide ac tranquille obdormivit in Domino.

Ea ipsa hora R. P. Vicarius Missam in sacello valetudinarii celebravit ad eius animae suffragandum; quam mox plures aliae Missae subsecutae sunt, tam in Curia quam in aliis domibus romanis.

Ut legimus in epistola data a Patre Nostro ipso die mortis, « vir valde pius, apprime fidelis, Societatis amantissimus, prudentiae et discretionis dono haud mediocriter praeditus, suis muneribus unice intentus, religiosae observantiae studiosissimus, omnium sibi animos conciliabat ». Eius pia mors corona fuit piae vitae et pignus praemii aeterni.

P. Hilarius Azzolini (Ven. Med.). Vix effluxerant 20 dies a morte Patris Nostri, cum ecce eius fidelissimus ac devotissimus adiutor illum in caelum evolantem proxime secutus est. Die 2ª ianuarii, repentino ictu haemorrhagiae cerebralis correptus, postridie hora 5ª postmeridiana animam Deo reddidit.

Ortus erat die 15 aprilis 1887 in oppido Buzzoletto de Viadana (Mantua). Perfectis studiis gymnasialibus Cremonae, in Collegio quod tunc temporis habebat Societas in ea urbe, inter Novicios Provinciae Venetae receptus est die 14 augusti 1903. Post confecta cum magna laude studia theologica in Universitate Gregoriana, biennium functus est officio Vicepostulatoris Generalis, una simul scholas biennii Iuris Canonici frequentans; a quo officio Pater Noster anno 1923 illum amovit ut ei munus Subsecretarii Societatis concrederet. Quanto consilio ac diligentia hoc munus gesserit per 20 fere continuos annos, testes sunt quotquot in Curia Societatis illum cognoverunt, atque in primis ipse Pater Generalis, qui saepius asserere non dubitavit Patrem Azzolini esse optime meritum de universa Societate, praesertim vero de suo Praeposito Generali. Re quidem vera haud facile melior eius adiutor inveniri posset. Patri Nostro addictissimus, simplex, devotus, disciplinae religiosae amans, caritatis fautor, promptus ac sollicitus ad exsequendos labores qui haud raro ad Curiam pervenire solent ex improviso et sine mora. Ut erat ornatus praeclaro ingenio, memoria insigni, mira vi et facilitate cogitandi et scribendi tam latine quam italice, has optimas mentis dotes optima eius voluntas ad ceteros omnes iuvandos promptas semper habebat, ita ut ille fuerit instar memoriae ac manuum omnibus officialibus Curiae. Quot milia paginarum scripsit, exsecutor sapiens atque apprime fidelis, semper occultus atque « *anony-*

mi » tectus velamine, hilaris et contentus quod serviret Deo et Societati propter solum amorem Dei, de fama ac laude hominum nihilo sollicitus!

Vir suo officio deditus et sua sorte contentus, quamquam viribus minime robustis utebatur, sperabatur tamen per plures annos suam pretiosam operam in Curia praestiturus; sed incassum. Ut fuerat semper cum Patre Nostro et mente et animo coniunctissimus, eius morte vehementissime affectus est. Accessit ingens labor Curiae superveniens occasione mortis Patris Nostri, cui labori levando ille plurimam operam libentissime contulit.

Sed ictus subitaneus mortem illi insperatam non tulit. Morienti Patri Nostro, filiali amore ac fiducia hoc votum expresserat: « *Paternità, mi chiami presto* », quam voluntatem, post mortem Patris Generalis immutatam, saepe saepius colloquendo significabat. Sic, voti compos factus, si licet in memoriam revocare Sanctum Diaconum Laurentium et Summum Pontificem Xystum, dilectissimum Patrem Generalem ad superos se vocantem, impiger secutus est.

VITA FUNCTI

A DIE 1 IULII 1942 AD DIEM 15 IANUARII 1943.

Romana: 21 iul. P. Davinus Giusti (44/27) Davos Platz; 2 oct. P. Raphaël Lallai (64/41) Livorno.

Neapolitana: 29 oct. C. Renatus Attardo (21/4) Roma.

Sicula: ? aug. P. Angelus Di Re (63/45) Malta.

Taurinensis: 7 iul. P. Ioannes Oldrà (69/54) Savona; 5 aug. P. Marius Grimaldi (61/44) Genova.

Veneto-Mediol.: 3 ian. P. Hilarius Azzolini (56/40) Roma.

Austriae: 18 iul. P. Ruldolphus Senfelder (80/63) Wien; 16 aug. P. Franciscus Xav. Wallinger (72/54) Grieskirchen; 23 aug. P. Thomas Rubatscher (75/54) Bolzano; 31 aug. P. Iosephus Moor (70/50) Linz; 8 oct. P. Michael Trissl (83/53) Wien; ? ? C. Gualterus König (31/7) *in bello.*

Germaniae Inf.: 18 iul. P. Wernerus Barkholt (41/19) in Germania; 20 iul. P. Augustinus Benninghaus (62/43) in Germania; 4 aug. P. Carolus Kneller (86/65) Pullach; 11 aug. P. Joannes Bapt. Reiferscheidt (51/14) Dortmund; 24 nov. P. Antonius Höhne (68/49) Bödingen; ? dec. P. Ernestus Böminghaus (61/42) in Germania; 30d ec. C. Franciscus Xav. Pätzold (79/60) Stockholm.

Germaniae Orient.: 3 aug. P. Iosephus Palisa (78/53) Linz.

Germaniae Sup.: 15 sept. P. Ioannes Bapt. Schneider (42/22) München; 6 oct. P. Carolus Zipperlin (62/35) Pullach; 14 oct. C. Adolfus Nagel (66/47) Feldkirch; 20 oct. C. Iosephus Sprinz (59/42) Feldkirch; 29 oct. C. Ludovicus Friedlein (35/17) *in bello;* 31 oct. C. Ioannes Schreiber (79/54) München; 13 nov. P. Andreas Konrad (35/5) *in bello.*

Lituaniae: 11 aug. C. Paulus Gencevičius (70/47) Salisbury.

Neerlandica: 27 iul. P. Henricus Zwaans (45/26) *Duissel* in Germania; 8 sept. P. Christianus Hoogeweegen (57/38) Amsterdam; 9 sept. P. Gulielmus Kea (58/36) Weert; 14 sept. P. Iosephus van Schuylenburch (37/17) Utrecht; 18 oct. C. Bernardus van Rhijn (84/61) Mariëndaal; 2 dec. P. Cornelius van Malten (64/44) Mariëndaal; 3 dec. P. Hubertus Beijersbergen (73/54) Maastricht; 29 dec. P. Robertus Regout (47/28) *Dachau* in Germania.

Campaniae: ? iul. P. Alphonsus Giethlen (74/55) Madagascar; ? oct. S. Paulus Sou (27/7) in Sinis; ? oct. P. Albertus Wetterwald (83/67) in Sinis; 11 nov. P. Ioannes-Baptista Cordonnier (61/42) Lille; 27 nov. P. Ferdinandus Lecroix (80/57) Pont-l'Abbé; 13 dec. P. Paulus Rey (85/65) Amiens; ? ? P. Carolus Taranzano (77/55) in Sinis; 4 ian. P. Petrus Deffrennes (46/24) Châlons-sur-Marne; ? ian. P. Albertus Payen (91-70) Fressenneville; 12 ian. P. Paulus Croizier (65/47) Vanves.

Franciae: 4 aug. P. Petrus Aubron (53/35) Hauteville; ? oct. C. Iosephus Aguinagalde (65/48) Zi-ka-wei; 19 oct. S. Patritius Ceillier (29/12) *Sagan* in Germania; ? ? P. Timolaus de La Taille (71/54) in Sinis; ? ? C. Augustus Datin (92/76) in Sinis; 27 nov. P. Petrus Hanski (76/20) Le Dorat.

Lugdunensis: 1 oct. P. Franciscus-Isidorus Vulliez-Sermet (83/54) Lyon; 15 oct. P. Fernandus Jamin (78/55) Paray-le-Monial; 19 oct. P. Gulielmus Biard (80/58) Oran; 21 oct. P. Marius Guinamard (76/57) Dôle; 9 dec. C. Salomon Dallal (73/53) Beyrouth; 11 dec. C. Sylvanus Jullia (82/55) Lalouvesc; 9 ian. P. Firminus Pélissié (81/62) Zahlé; 10 ian. C. Georgius d'Estienne (85/52) Lyon.

Tolosana: 24 aug. P. Iosephus Bourdot (68/50) Trichinopoly; 25 sept. P. Franciscus-Xaverius David (69/48) in Viceprov. Madurensi; 13 nov. C. Andreas Besqueut (93/69) Vals; 25 nov. P. Franciscus de Saune (85/68) Toulouse; 5 dec. P. Petrus Dours (93/72)

Montpellier; 14 dec. P. Isidorus Sarramagna (92/71) Bordeaux; 3 ian. P. Florianus Cathalan (86/67) Toulouse; 9 ian. P. Stephanus Laguës (83/54) Pau.

Aragoniae: 11 iul. C. Christianus Monclús (77/51) Valencia; 30 sep. P. Paschalis Agustí (67/42) Huesca; 24 oct. C. Aloisius Maciá (66/42) Veruela; 11 nov. C. Antonius Marí (90/67) Zaragoza; 12 nov. C. Iulianus Fuentes (81/60) Zaragoza.

Baetica: 24 aug. C. Cyprianus García (53/29) Málaga.

Castellana: 31 iul. P. Maximilianus San Martín (76/54) Tudela; 29 aug. P. Ioannes Alvarez (85/67) Cuba; 9 sept. P. Raimundus Olabide (74/58) Toulouse; 3 oct. C. Iosephus Ioachim Eiguren (77/58) Loyola; 10 oct. P. Antonius Maria Arregui (75/60) Barcelona; 11 nov. C. Stephanus Goenaga (90/63) Loyola; 21 dec. P. Georgius Camarero (81/63) Habana.

Legionensis: ? iul. P. Serapius Sánchez (43/17) Santiago de Cuba; 18 sept. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo (67/52) Roma; 19 sept. P. Michaël Mostaza (76/51) San Sebastián; 21 dec. P. Camillus García (80/54) Habana; 4 ian. C. Emmanuel Iturri (69/45) Comillas; 8 ian. Schol. Matthias Morán (29/10) Carrión.

Toletana: 4 sept. C. Heliodurus Bermejo (56/20) Villafranca; 9 ian. C. Antonius Ruiz (87/58) Chamartín.

Lusitana: ? ? P. Leo Meyer (65/45) Baturité.

Angliae: 10 aug. P. Dionysius Whiteside (62/43) Salisbury; 11 aug. P. Gulielmus Feran (73/56) Stillorgan; 23 aug. C. Joannes Leigh (65/43) Windsor; 24 sept. C. Leo Johnson (43/20) Glasgow; 5 oct. C. Ricardus Eaton (84/50) Heythrop; 12 oct. C. Joannes Holden (79/60) Tremerchion; 15 nov. P. Joannes Coogan (76/54) Leigh; 29 nov. P. Reginaldus Gibb (78/56) St. Beunos; 2 dec. P. Gulielmus Gregson (65/45) Blackpool.

Australiae: 20 nov. C. Donaldus McLean (62/16) Watsonia; 27 nov. P. Thomas O'Dwyer (70/51) Melbourne.

Belgicae Merid.: 26 aug. P. Mauritius Wautlet (51/32) Bois-de-Breux; 2 oct. P. Henricus Delattre (73/54) Namur; 25 oct. S. Nicolaus Gouden (29/6) Arlon; S. Stephanus Hocedez (31/12) Leuze; 5 ian. C. Gulielmus Nebeling (66/47) Kikwit.

Belgicae Sept.: 8 sept. C. Gustavus De Wilde (74/47) Gent; 20 sept. P. Arthurus Brielman (71/51) Banningville; 21 sept. C.

Josephus Arnauts (69/16) Aalst; 23 oct. P. Alfredus Boone (72/51) Ranchi; 7 nov. C. Theophilus Roelandt (71/48) Drongen; 20 dec. P. Andreas Rosseel (70/51) Charleroi.

Canadae Inf.: 24 iun. P. Carolus Chaput (75/56) Montréal; 13 oct. C. Josephus Moisan (87/43) Montréal.

Hiberniae: 1 iul. C. Thomas Connel (69/37) Dublin; 15 iul. P. Leonardus Gallagher (44/26) Dublin; 6 aug. C. Josephus Campbell (75/53) Tullamore; ? aug. P. Michael Kirwan (59/23) Dublin; 5 nov. P. Joannes Elliot (86/67) Clongowes; 15 nov. P. Nicolaus J. Tomkin (84/66) Dublin; 27 dec. P. Andreas Macardle (80/60) Dublin.

Californiae: 21 ian. 1942 P. Gulielmus Boland (68/53) Santa Clara; 27 apr. P. Patritius Deignan (66/47) Santa Clara.

Chicagiensis: 14 apr. P. Daniel J. Broderick (38/17) Cincinnati; 6 iun. P. Gilbertus Garraghan (71/52) Chicago.

Marylandiae-Neo Ebor.: 4 dec. 1941 C. Georgius Hermann (70/49) Grand Coteau; 10 dec. 1941 P. Robertus Reynolds (71/50) Poughkeepsie; 8 iun. 1942 C. Martinus Nestor (81/52) Weston; 22 iun. P. Franciscus X. Dougherty (49/30) New York; 1 iul. P. Joannes Corbett (74/55) Poughkeepsie; 22 aug. P. Petrus Schweitzer (74/54) Poughkeepsie; 11 sept. C. Fridericus Lang (68/46) Georgetown.

Missouriana: 26 nov. 1941 P. Gulielmus H. Hayden (46/29) Denver; 11 dec. 1941 C. Joannes H. Studer (67/48) Prairie du Chien; 20 dec. 1941 P. Georgius A. McDonald (44/26) St. Louis; 16 mar. 1942 C. Henricus Reuter (80/56) Mankato; 18 mar. C. Willibaldus Dreier (67/42) St. Francis; 7 maii P. Theodore Hegemann (83/49) Florissant; 24 maii C. Antonius J. Axt (80/51) St. Francis; 5 iun. P. Alphonsus J. Lebeau (71/52) Trinidad; 17 iun. P. Jacobus Paulus (75/51) St. Louis; 20 iul. C. Josephus Amiano (80/62) St. Louis.

Neo Aurelianensis: 30 dec. 1941 C. Stephanus Keller (82/54) Grand Coteau; 4 feb. 1942 C. Leo A. McCarty (45/11) Grand Coteau; 4 maii P. Julius Oberholzer (81/52) Grand Coteau; 18 iun. P. Augustinus E. Fields (73/53) Grand Coteau.

Novae Angliae: 11 iun. P. Aloisius Thibbits (57/37) Hartford.

Oregoniensis: 2 dec. 1941 P. Jacobus L. McKenna (67/46) Pendleton; 5 dec. 1941 P. Conradus Brusten (78/54) Spokane; 5 apr. 1942 P. Alphonsus Couffrant (78/52) Spokane; 13 maii P.

Eduardus C. Menager (60/36) San Francisco; 4 iun. P. Antonius J. Spenner (43/19) Sublimity.

Bohemiae: 29 aug. C. Iosephus Rozsypalek (35/13) Praha; 17 sept. S. Robertus Albrecht (36/9) ?

Croatiae: 17 nov. C. Ioannes Nep. Bulicć (76/57) Spalato.

Poloniae Maior. et Maz.: ? oct. 1939: P. Antonius Bieleń (60/35); P. Iosephus Gołębiewski (57/37) P. Iosephus Konewecki (46/27); P. Bronislaus Bojułka (45/27) P. Edmundus Ząbek (37/21); P. Ioannes Brodowski (30/13); S. Ioannes Borysiak (26/10), *in captivitate;* exeunte anno 1939: P. Ceslaus Głowa (31/14); C. Iulianus Mojkowski (77/44); C. Adalbertus Wątróbski (23/4), *in campo coactionis;* ? iul. 1942 P. Antonius Niemancewicz (49/12) *Albertyn;* ? ? P. Michael Malinowski (55/23) *Mauthausen;* ? ? P. Adam Sztark (35/18) *Słonim;* ? iul. S. Stephanus Szakoła (30/13) *Dachau;* ? iul. P. Venceslaus Sęk (34/19) *Mińsk;* ? iul. P. Antonius Swiatopełk-Mirski (35/15) *Połock;* 5 nov. S. Leo Waszkielis (33/16) *Dachau;* 11 dec. P. Blasius Jabłoński (72/55) Pagryżuvis (Lituania); 23 dec. S. Iosephus Suchocki (29/7) Złotoria (Alba Russia).

Poloniae Minoris: *Anno 1939:* ? ? S. Franciscus Bok (58/40) *in nosocomio;* ? ? C. Petrus Ludwikowski (34/16) *in nosocomio;* ? oct. P. Blasius Blajer (57/30) in *captivitate;* 19 dec. 1941 C. Iacobus Kral (81/51) Starawieś; ? iul. 1942 C. Iacobus Jagusz (70/44) Tawda (Russia); 16 iul. P. Stanislaus Bednarski (47/32) *Dachau;* 24 iul. C. Henricus Trela (53/23) *Mauthausen;* ? aug. C. Bernardus Nierowisz (55/29) *Oświęcim;* 20 sept. P. Iosephus Bury (58/41) Nowy Sącz; 29 sept. P. Romanus Przystaś (36/18) *Dachau;* ? oct. P. Casimirus Dembowski (33/16) *Dachau;* 5 dec. S. Iulianus Czyżycki (32/16) *Dachau;* 13 dec. A. R. P. WLODIMIRUS LEDOCHOWSKI (77/54) Roma.

Argentinensis: 27 mart. P. Iosephus Doménech (63/45) Santa Fe.

Brasiliae Centr.: 28 dec. P. Iosephus Giannella (69/44) Roma.

Brasiliae Sept.: 6 aug. P. Iosephus da Lapa (68/64) Recife.

Chilensis: 2 iun. P. Carolus Garcerán (83/61) Santiago.

Colombiana: 1 iul. C. Arpidius Zuluaga (73/55) Bogotá.

Mexicana: 12 iul. P. Urbanus Pautard (71/52) Guadalajara; ? aug. P. Emmanuel Díaz Rayon (84/62) Granada; ? ? C. Gregorius Suárez (81/51) Mexico.

R. I. P.